

Dioecesis	Monasterium	Nrus.	Dioecesis	Monasterium	Nrus.
Senonen.	de Meleduno	143	Turonen.	de Cormeriaco	118, 162
—	s. Petri vivi	214	—	de Nuchariis	213
—	de Pruvino	278	Ulixbon.	de Alcobacia	181
Sipontin.	Montis saeri	10	de Urbe	ss. Andr. et Greg.	14
—	de Pulsano	248	—	s. Eusebii	3
Spalaten.	s. Stephani	205	Urbinate.	s. Christophori	33, 269
Suessionen.	de Compendio	52, 266	Urgellen.	Aggeren.	211
—	de Assisis	54	—	de Solsona	30
—	s. Medardi	284	Valentin. et Dien.	s. Ruffi	65
Tarentin.	b. M. de Crispiano	150	Valentin.	Vallis dignae	15
Tarvien.	s. Savini	166	Vauren.	Soricinio	63
Taurinen.	de Caramania	247	Veneten.	b. M. de Precibus	99
—	de Casanova	128	—	de Retono	96
—	de Pinerolio	21, 232	Vercellen.	s. Nazarii	64
—	de Ripalta	285	—	s. Stephani	227
—	de Secusia	28c	Veronen.	s. Firmini	32, 290
—	de Staffarda	161	—	s. Zenonis	280
Terracin.	de Sermoneta	124	—	de Lonado	9
Tervisin.	de Nervesia	55, 280	—	s. Trinitatis	289
Tirasonen.	de Verola	58	Vicen.	de Rivopullo	202, 288
Tolosan.	Grandis silvae	126, 225	—	de Abbatissis	279
—	Mansi Organessi	253	Vicentin.	de Villanova	13, 38, 186
—	s. Saturnini	272	Viennen.	s. Petri	275
Tragurien.	s. Joh. Evang.	42	Virdunen.	Belliloci	105
Trecen.	Cellae	160	—	s. Pauli	70
—	Arremaren.	282	Vulteran.	ss. Justi et Clem.	191
Trecoren.	de Begart	98	Zamoren.	de Moreruella	48, 94, 229
Tricaricen	de Tyano	85	?	s. Thomae maj.	61

De regularium exemptione.

Dissertatio historico-juridica.

Scriptis P. Robertus Breitschopf, O. S. B. mon. Altenburgensis,
S. Theologiae Doctor.

(Fortsetzung zu Heft I. 1900, S. 78—84.)

A saeculo XIII. usque ad Concilium Tridentinum.

Hoc saeculo (sc. XIII.) renovata et confirmata sunt exemptionis privilegia pro congregatione Cluniacensi (a Papa Clemente IV. a. 1265), Vallumbrosana (a P. Innocentio IV. 1243—1254), Sylvestrinorum (ab eodem Summo Pontifice) nec non pro fratribus Minoribus (a Clemente IV. a. 1265—1268). Non negari potest, saepe multis his privilegiis et exemptionibus magnam perturbationem et multas dissensiones episcopos inter et monasteriorum ac ordinum praesides extitisse, quia jurisdictio ordinariorum valde et non raro ad detrimentum ecclesiasticae disciplinae atque administrationis dioecesanae coarctata erat, sed concedendum quoque est, invidiam saepe ansam praebuisse contra regulares eorumque privilegia et exemptiones exercendi accusationes. Mendicantes praepremis, qui a

Summis Pontificibus maximis et plurimis privilegiis fuerant exornati, valde impugnati sunt. In universitate Parisiensi¹⁾ clarissimi doctores S. Thomas, S. Bonaventura, alique religiosi doctores „prope omnes litteratiores in scholis auditores habebant et in regimine praeeminebant“. Quamobrem a. 1256 Gulielmus a S. Amore, vehemens Mendicantium adversarius, librum „de periculis novissimorum temporum“ edidit, quo contendit mendicantes non tantum a scholis, sed etiam a sacro ministerio arcendos esse: a summo pontifice alios quidem mitti posse ad praedicandum, sed nequaquam regulares, salva hierarchia; ab his nil agi posse etiam jussu pontificis, absque licentia presbyterorum parochialium; fratribus ab episcopo vel papa canonice destinatis confessos non satisfacere praecepto de confessione annua etc.

Contra hunc libellum scripsit S. Thomas²⁾ („contra retrahentes a religionis ingressu“ et „contra impugnatores Dei cultum“), S. Bonaventura („Liber apologeticus in eos, qui ordini minorum adversantur“ — „de paupertate contra Gulielmum“) nec non B. Albertus Magnus. P. Alexander IV., ad quem Anagninae residentem Gulielmi liber delatus est, istum libellum proscrispsit cumque ignibus cremari jussit. Paulo post iterum novae vehementes querelae Parisiis suscitatae sunt; a. 1281 nempe quatuor archiepiscopi et viginti episcopi contra regulares publice agitaverunt. Non pauci igitur sperabant episcopi, Summum Pontificem concilio Viennensi (a. 1311 die 16. Octobr. ineptum) omnes regularium exemptiones abrogatum esse. Ita e. g. Gulielmus Durandus, episcopus Mimatensis, ante concilium „tractatum de modo celebrandi concilii generalis“ conscripsit, in quo abolitionem privilegiorum regularium poposcit, et Aegydius Romanus, archiepiscopus Bituriensis („Bourges“) sententiam defendit, regularium exemptiones causam esse omnium incommodorum ecclesiasticorum.³⁾ Sed regulares quoque et quidem Cisterzienses praeprimis papam adierunt pro exemptione sua pristina pacifice obtinenda, cum Abbas Jacobus de Thermes (S. O. Cist.) contra Aegydius Romanum tractatum de exemptionis defensione scripserit. Tanquam falsissimum vero rejciendum est opprobrium Thomae de Valsingham, Cisterzienses donis datis (!) a Summo Pontifice hanc gratiam accepisse. Quod speraverant adversarii exemptionis regularium, sc. omnia regularium privilegia et exemptiones concilio Viennensi abrogatum iri, non adimpletum est, sed ordo tantum Templariorum ex aliis causis oppressus est, et quoad exemptionem tantum definitum est: „re-

¹⁾ de hac questione vide: Thomas Cantipratensis »Mirac. et exempla sui temporis«, lib. 2. cap. 10. num. 31. pag 180 et 55.

²⁾ Hergenröther »Kirchengeschichte« II. Bd. S. 371⁴.

³⁾ De hac materia cf. Victor de Buck, S. J. »de exemptione Regularium«, pag. 100 et sequ.

ligiosi, qui clericis aut laicis sacramentum unctionis extremae vel Eucharistiae ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his Paroecialis Presbyteri licentia speciali . . . excommunicationis incurrant sententiam ipso facto . . .“¹⁾ — Immo in hoc concilio Archiepiscopis et Episcopis tantum concessum est: ut per loca exempta transitum facientes crucem ante se libere portari faciant, benedicant populo, divina officia privatim vel publice ibidem audiant et ea etiam in Pontificalibus celebrent. „Sic tamen, quo praetextu concessionis huiusmodi, in locis ipsis exemptis, vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam jurisdictionem idem Archiepiscopus vel Episcopus exerceat, ne personis exemptis vel privilegiatis molestiam inferat, vel gravamen nullumque exemptionis, vel privilegiis eorundem aliud praejudicium generetur, nec ipsi Archiepiscopo vel Episcopo jus aliud quomodolibet acquiratur.“ (Cap. „Archiepiscopo“ in Clem. V., 7.). Iterum adversus Mendicantes a. 1351 novum bellum ortum est, et quidem multi cardinales et episcopi nec non parochi a Clemente VI. postularunt, ut ipse ordinem hunc opprimeret vel saltem privilegia Mendicantium derogaret. Sed frustra hoc petierunt, quia Summus Pontifex fautor erat Mendicantium, qui praeclarissime de ecclesia meriti erant. Thomassinus (in opere suo „Vetus et nova Eccl. disc. P. 1. lib. III. cap. 39., n. 2.) de hoc facto ita scribit: „A. 1351 conspirarunt Cardinales, praelati et parochi in Curia Romana apud Avenionem ut Clementem VI. Pontificem impellerent ad Mendicantium ordines penitus excidendos vel ad eorum revocanda privilegia. Mendicantium defensorem se et patronum egit Pontifex, palamque explanavit Episcopis, quantis in Ecclesiam illi officiis, quantis laboribus ad animarum salutem, ad Episcoporum et Parochorum levamen certarent, ut quos nunc extinctos vellent, eos, haud dubio mox desideraturi essent praepropere oppressos. Vicere tunc Monachi.“

Novae querelae factae sunt in universitate Parisiensi, cum Alexander V. Papa die 12. Octobr. 1409 Bullam suam „Regnans in coelis“²⁾ in favorem Mendicantium edidit, in qua omnia decreta P. Bonifacii VIII., Clementis V. et Joannis XXII. confirmavit; imprimis universitatis Parisiensis cancellarius Joannes Gersonius vehementissime contra hanc Bullam se gessit. — In concilio Constantiensi „projectum reformationis nationis Germaniae“ relatum erat, cuius punctum VI. postulavit: „permultas exemptiones esse coërcendas;“ sed tantum in hoc concilio (a. 1417) „revocata sunt aut irritata privilegia omnia, quae concessa fuissent a tempore obitus Gregorii XI., hoc est ab initio schismatis; indiscriminatum obducta sunt omnia, sive a veris, sive a veros se jactantibus

1) cap. »Religiosi« in Clem. V. 17.

2) Bullarium magnum, ed. Luxembg. 1730 (p. 10.)

pontificibus indulta forent. Excipiebantur tamen, 1^o quae in ipsa fundatione fuissent concessa; 2^o quae data fuissent assensu eorum, quorum intererat.“¹⁾ — Facile intelligendum est, his decretis concilii Constantiensis litem quoad exemptiones non esse finitam. Majoris momenti fuit concilium Lateranense V. (a. 1515) sub Leone X. celebratum. In hoc consilio post sessionem IX. constituerunt inter se episcopi, ut ne ulli amplius adessent sessioni, nisi antea Pontifex illam revocasset Bullam, quae „Mare magnum“ appellatur, et ad jus commune reduxisset Mendicantes omnes, quorum privilegia episcopi scatebras esse inexhaustas abusuum et dissensionum defenderunt. Aegydius vero Viterbensis, generalis praepositus Eremitarum S. Augustini et Cardinalis, fortissimus et acerrimus libertatis regularium defensor erat. In sessione XI.²⁾ quaestio de exemptione regularium facta est, sed episcoporum postulata non sunt adimpleta; in Bulla nempe „Dum intra“ Pontifex hoc tantum principium proposuit et constituit, regulares, qui in Episcopi cuiusdam dioecesi ecclesias parochiales teneant, quoad illas ordinarii jurisdictioni subjectos esse. (Leo X. Const. ann. 1516).³⁾ Hoc modo in hoc quoque concilio difficultates quoad regularium exemptiones non sunt totaliter sublatae.

Ante Concilium Tridentinum a Summis Pontificibus exemptionis privilegium acceperunt hi sequentes ordines religiosi:⁴⁾

Fratres Praedicatorum a Gregorio XI. „Virtute, d. VI. Martii 1374 et a Sixto IV. „Regimini universalis ecclesiae“ (sic dictum „Mare magnum“) a. 1474; idem privilegium exemptionis de verbo ad verbum habent fratres Minores O. S. Fr. ab eodem Sixto IV., qui antea fuerat eiusdem ordinis Generalis Minister. Idem privilegium habent fratres B. M. V. Servorum ab Urbano VI. in Bulla „Sacrosancta“ edita 7. Idus Aprilis a. 1380 et fratres Minimi S. Franzisci de Paula in Bulla „Sedes Apostolica, 6. Kalendis Junii 1474. Exempti sunt a Bonifacio IX. Cartusiani („Sacrosancta“, d. 7. Aprilis 1391), Praemonstratenses ab Alexandro V. (a. 1409), Carmelitae a Sixto IV. (a. 1477) et postea a Clemente VII. „Ex elementis“ d. 12. Aug. 1530, canonici Regulares Lateranenses a Sixto IV. „Dum ad“, 23. Aug. 1476 et a Julio II. „Inter caeteros“, d. 2. April. 1512, Camaldulenses a Leone X. (a. 1513), qui iam ab Alexandro IV. a. 1258 („Officii“) fuerant exempti, denique Societas Jesu a Paulo III. inito jam Concilio Tridentino („Licet“) d. 18. Octobr. 1549.

¹⁾ de Buck, l. cit., pag. 106. — Thomassinus, l. c. part. 1., lib. 3., cap. 39 num. 4. (tom. I. pag. 764 et 55.).

²⁾ Hefele, Conciliengeschichte, 8. Bd. § 899 u. § 905. (11. Sitzung.)

³⁾ Bullarium Rom. Tom. V. pag. 685.

⁴⁾ Cf. Prosperi Fagnani »Commentaria in V. librum Decretalium« De Privileg. c. Tuarum (18 et sequ.), et: Scherer, Handbuch des Kirchenrechtes, 2. Bd. (1898) S. 742⁵⁸.

Concilium Tridentinum quoad regularium exemptionem.

Quemadmodum in omnibus ecclesiasticis disciplinis et quaestionibus religiosis, ita quoque quoad exemptionem Concilium Tridentinum decreta divina sapientia plena edidit, quibus vera reformatio et pacifica solutio multarum difficultatum nec non controversiarum pro temporibus futuris usque ad hodiernum diem facta est. Exhibiti quidem sunt Concilio nomine episcoporum ac principum Germaniae articuli quidam pro reformatione, quorum quartus erat: „Revocandas esse omnes exemptiones contra jura communia passim concessas, monasteriaque omnia sub episcopi potestate constituenda, sub cuius sunt dioecesi“, sed horum articulorum historicum clarissimus Pallavicinus, concilii Tridentini historiographus, his verbis refert: ¹⁾ „die septima Junii 1562 Caesarini detulerunt ad praesides volumen quoddam a Ferdinando ad se missum, ut synodo traderent... Liber ille complectebatur magna ex parte sensus injectos inexperto religionis studio quorundam proborum ab eorum arte, qui omnem impedebant operam ad elevandam synodi ac praesidum dignitatem, splendoremque Pontificatus minuendum. Legati vehementer eo sunt commoti; cumque Muglizio, archiepiscopo Pragensi ostendissent, quanta tum concilii tum Caesaris indignitate volumen illud conventui traderetur, eos cohortati sunt, ut tantisper suspenderent, dum ipsi per officia nuntii Ferdinandum ab eo consilio dimoverent. Quin praeterea Muglitzius ea opportunitate, qua brevi per dispositos equos iturus erat ad suam Pragensem ecclesiam, ut regem Bohemiae coronaret, suscepit in se munus id Caesari suadendi.“ Neque unquam dein in concilio propositi fuerunt malevoli isti articuli. Immo praeclarum de exemptionum utilitate testimonium exhibuit in Concilio Tridentino Cardinalis Lotharingus, prout narrat Pallavicinus hunc in modum: ²⁾ „de regularibus illustre praeconium habuit, testatus tria regularium millia in Gallia paucorum mensium spatio crudele martyrium passos fuisse, quod oboedientiam Romano Pontifici debitam abjurare nolissent. Quapropter ubi ceterorum clericorum immunitatem ab Episcopis plurimum improbabat, ita eandem in regularibus admodum a se comprobari; et Patres cohortabatur, ut illorum privilegia illaesa praestarent.“

De legislatione Concilii Tridentini quoad regularium exemptionem infra fusius tractabimus, quia haec legislatio fundamentum hodierni juris quoad exemptionem est. Jure autem plenissimo jam hoc loco cum praeclarissimo Pallavicino dicere possumus: „Et sane parum vel nihil actum est id temporis in Concilio de

¹⁾ Annales ecclesiast., ad annum 1563, num. 42., tom. 34. pag. 366.

²⁾ Historia Concil. Tridentini, lib. 24., cap. 3., num. 7., tom. 3. pag. 293.

abrogandis regularium immunitatibus; sed potius majorve minorve tribuenda esset Episcopis auctoritas, regulares in quibusdam conditionibus puniendi.“

Legislatio Summorum Pontificum quoad regularium exemptionem post Conc. Tridentinum.¹⁾

Summorum Pontificum legislationis tempore post Conc. Tridentinum quoad regularium exemptionem proprium est, decretis Concilii Trid. plerumque niti et praeprimis ex declarationibus Congregationis Concilii a Summis Pontificibus approbatis provenire. Sic Pius IV. in Bulla sua „In principis Apostolorum“ (a. 1564) omnia ac singula privilegia, quae Concilii Trid. decretis repugnabant, derogavit, inprimis illud clarissimum „Mare magnum“. Quamquam per successorem huius Pontificis, per Pium V. in Bulla „Etsi mendicantium“ (a. 1567) et constitutione „Ex supernae dispositionis“ (a. 1567) multa vetera privilegia, quorum nonnulla Concilii Trid. decretis abolita fuerant, de novo donata sunt, tamen paulo post plura decreta ipse Pontifex iterum revocavit, et Gregorius XIII. constitutione sua „In tanta rerum“ (a. 1573) legislationem quoad exemptiones ad normam Concilii Trid. reduxit. Non minoris momenti pro nostra materia Gregorii XV. Bulla „Inserutabili“ (a. 1622) est, quae exemptorum jura ac officia quoad animarum curam definivit; idem tractatur Clementis X. Bulla „Superna“ (a. 1670). Ex saeculo XVIII. possunt afferri Benedicti XIII. constitutiones, quibus ille benignissimus Papa regularium exemptionibus valde favebat, nec non constitutio „Romanus Pontifex“ (a. 1732) Clementis XII., denique doctissimi Pontificis Benedicti XIV. constitutiones „Firmandis“, „Apostolicae servitutis“ nec non „Inter multa“ (a. 1733, 1744).

Nobis Austriacis²⁾ scitu dignum est, imperatorem Josephum II. per decretum 11. Sept. 1782 datum omnes exemptiones monasteriorum abrogasse. Causa autem huius mandati in hoc decreto affertur, quod Deus ipse omnes oves suas sine expectione status vel conditionis ordinario episcopo comisisset (!).

Jus hodiernum quoad regularium exemptionem.

Diversi gradus vel variae speciei quoad exemptionem abbates distinguere possunt et quidem:³⁾

1. primae speciei, qui principaliter cum certis locis (vel territoriis) ab Episcoporum jurisdictione eximuntur et nonnisi per

¹⁾ Philipps »Kirchenrecht«, Bd. 7 (2) § 448, S. 1000 u. folg.

²⁾ Vering, »Lehrbuch des kath. . . . Kirchenrechtes« (III. Aufl.) Seite 109 u. folg. Anm. 22.

³⁾ Cf. Ferrari, l. c. Articulus: Abbas, pag. 12 et sequ. — Ascanius Tamburini »de jure Abbatum«, disputatio III. — Philipps, l. c., Bd. 7 (2), S. 1004 u. folg. (§ 449.)

consequentiam aliqua donantur jurisdictione non in populum et clerum, sed in personas eorum locorum;

2. secundae speciei, qui nonnullis exceptis quae nominatim prohibentur, obtinent, quae ad Episcopos pertinere dicuntur, lege jurisdictionis in populum et clerum aliquorum oppidorum, remanentibus tamen oppidis illis in dioecesibus suorum Episcoporum, et sic Episcopis competentibus cunctis, quae ad eos jure Ordinis et Lege dioecesana pertinent, quae vetita sunt ipsis Abbatibus II. speciei, tum quae Episcopis in loca exempta sunt delegata;

3. tertiae speciei, qui plenius obtinent quae ad Episcopos Lege jurisdictionis pertinent in populum et Clerum certorum oppidorum, iis a dioecesibus suorum Episcoporum separatis, ideoque Episcopis minime competentibus, quae ad ipsos pertinent jure Ordinis, Legeque Dioecesana, sed tantum quae delegata ipsis sunt in Loca nullius. Quapropter abbates exempti tertiae speciei „Abbatess nullius dicuntur, de quibus nunc fusius.

Abbatess nullius.¹⁾

Abbatess vel praelati nullius hi nominantur et sunt, qui habent territorium ab Episcopi dioecesi separatum, in quo territorio plenam jurisdictionem in populum et clerum exercent, quae hi praelati non immerito „semi-episcopi“ vocantur, quia carent quidem potestate ordinis, sed assimilantur in omnibus episcopis quoad potestatem jurisdictionis; eorum territorium „quasi-dioecesis“ dicitur.

Ut aliquis locus sit „nullius dioecesis“, contingere potest 1. origine, 2. privilegio, 3. praescriptione:

ad 1. In dioecesium et provinciarum divisione seu assignatione contigit, ut quaedam loca remanserint omnino extra limites cuiusque dioecesis Episcopis assignatae, quae utemque contermina seu adjacentia uni aut pluribus dioecesibus, tamen in nullius finibus apparebant inclusa, et haec ab initio fuerunt Sedi Apostolicae immediate subjecta.

ad 2. duobus modis: a) per suppressionem Episcopatus (e. g. in ecclesia Cassinensi); b) per territorii dismembrationem, quando scil. Sedes Apostolica separat certum territorium ab aliqua dioecesi, atque in eo constituit inferiorem praelatum cum jurisdictione quasi Episcopali in clerum et populum (excluso Episcopo);

ad 3. Praescriptione acquiritur status nullius dioecesis, si inferior praelatus in certa dioecesis parte tanquam in proprio

¹⁾ de hac materia vide: Dr. Hugo Lämmer »Institutionen d. kath. Kirchenrechtes« Bd. 2., § 62.) — Prosper Fagnani »Commentaria in III. libr. Decret. de parochis et alienis parochianis« cap. III. — Vinc. Petra, »Coment. in Const. apost., Vencl. 1729. — Bouix, l. c. Tom. II. pag. 155 et sequ. — Aichner, »Compend. juris eccl.« (editio VI.) pag. 398 — Jos. de Prosperis »Tract. de territorio separato.«

territorio supra hominum memoriam exerceat omnimodam jurisdictionem quasi Episcopalem in clerum et populum privative ad Episcopum.

Quoad jura praelati nullius valet principium: in omnibus Episcopi vicem gerit exceptis illis functionibus, ad quas exercendas ordo episcopalis est necessarius. Specialiter praelati nullius possident jurisdictionem plenissimam in rebus matrimonialibus ac ecclesiastico criminalibus; confessariis non tantum pro regularibus suis sed et pro laicis subditis approbationem dare possunt, nec non licentiam praedicandi; habent quoque jus sicuti Episcopi peccata quaedam et etiam sub censuris sibi reservandi, sed ex decreto Clementis VIII. undecim tantum, nisi generalis aut provincialis capituli matura discussione ac consensu. Obligati sunt ad visitationem liminum Apostolorum, in conciliis generalibus fruuntur sede ac voce, item habent usum Pontificalium, sed cum aliqua restrictione. Ecclesias regulares suae quasi-dioecesis visitandi praelati nullius ipsi jus habent, sed non saeculares ecclesias, quae visitationi episcopi proximioris tanquam delegati apostolici vel illius episcopi, quem in Concilio Provinciali semel sibi elegit praelatus nullius, subjectae sunt. Ut synodum convocare possint, speciale privilegium necessarium est, quo in casu concursum quoque ad munus parochiale instituere possunt. Ad ministrandum subditis suis Confirmationem, quem maluerint, episcopum vocare, nec non s. oleum, a quo maluerint, recipere, item regularibus subditis suis tonsuram ac ordines minores conferre possunt, sed non aliis subditis, quibus nec dimissoria dare possunt, nisi speciale privilegium post Concilium Tridentinum a Summo Pontifice tributum esset (pro ordinandis saecularibus tenentur recurrere ad episcopum viciniorum). Si quaeritur, quid juris Episcopo in hoc territorio nullius esset, respondere possumus cum cl. Fagnani: Solum in casu cap. 18. sessionis 23. regularia beneficia nullius dioecesis Episcopis jurisdictionem agnoscunt, cum obligentur contribuere seminario Episcopi, ut patet ibi: „Beneficiorum quorumcumque etiamsi exempta, etiamsi nullius dioecesis.“ Si denique quaeritur, quid possit episcopus in personas regulares nullius, iterum cum cl. Fagnani respondemus: „Si personae nullius dioecesis sint regulares, nullatenus visitationi Episcopi subjiciuntur; quia dictum caput 9. sessionis 24., ut superius dictum est, restringit se ad ecclesias saeculares tantum. Quod habet locum, etiamsi regulares nullius dioecesis in monasteriis seu domibus regularibus, aut alias animarum curam personarum saecularium exerceant; quia decreta concilii (Tridentini), quae subjiciunt regulares jurisdictioni Episcopi, in his, quae dictam curam et sacramentorum administrationem concernunt, restringunt se ad loca, quae in dioecesi Episcopi sita sunt . . . Et in his terminis loquitur etiam constitutio

Gregorii XV. de exemptorum privilegiis; nec enim comprehendit personas nullius dioecesis, ut alias Sacra Congregatio declaravit. Quemadmodum autem Episcopus non potest regulares nullius dioecesis visitare, ita nec ullam in eos jurisdictionem exercere.“
„Veruntamen in duobus casibus regulares eorundem locorum (sc. locorum nullius dioecesis) agnoscunt Episcopi superioritatem: primus est quoad ordines suscipiendos, in cap. 10. sessionis 23 (2); secundus est quoad litteras dimissorias, in eodem cap. 10. Nam superiores regulares nullius dioecesis subditis regularibus dimissorias concedentes, ex sententia Sacrae Congregationis tenentur, illas dirigere ad Episcopum proximiorum, vel ad Episcopum, intra cuius dioecesis fines existunt.“

De praelatis inferioribus.

Praelati secundae speciei possident territorium sibi subjectum, sed non ab Episcopi separatim sicuti praelati nullius, quare illorum territorium „in dioecesi“ dici solet. Non raro hi quoque praelati „nullius“ nominantur, sed immerito, quia non habent territorium ab Episcopi dioecesi separatim. Si e. g. Conc. Trid. in Sess. 23, de Ref. cap. 10. de praelatis nullius“ loquitur, sermonem facit de praelatis secundae speciei. Fieri potest, quod hi praelati ex peculiari privilegio fere omnes facultates possideant ut praelati nullius — quam ob rem saepe difficile est discrimen inter hos praelatos secundae speciei et „nullius“ — sed nunquam possunt hi praelati synodum convocare; e contra Episcopus eos ad synodum dioecesanam convenire obligare potest; item ad seminarium dioecesanum aliquam portionem conferre debent. Exercent et hi praelati veram jurisdictionem de clero et populo, non autem plenissimam ut praelati nullius; nam episcopus, in cuius dioecesi eorum territorium situm est, horum praelatorum ordinarius est et quidem cum omnibus juribus Conc. Trid. ipsis concessis.

Praelati denique primae speciei sunt illi, qui nullum habent territorium cum clero et populo, sed tantum de regularibus sibi subditis jurisdictionem exercent. Quorum jurisdictionem intra muros monasterii coercetur ita, ut Episcopo internis rebus monasticis se immiscere non sit licitum.

De casibus, in quibus regulares Episcopo subjecti sunt, hoc sequenti capitulo tractamus.

(Continuatio in fasc. seq.)